



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. XXVIII. De Responsorijs brevibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

TITULUS XXVIII.

DE RESPONSORIIS BREVIIBVS.

I. **R**esponsorialia brevia *m.* dicuntur post Capitulum ad Primam, Tertiam, Sextam & Nonam, & ad Completorium, præterquam in triduo ante Pascha usque ad Nonam Sabbati in Albis inclusivè, quibus diebus non dicuntur. Ad Primam & Completorium semper dicuntur eodem modo, *n.* ut in Psalterio. In alijs Horis, quando Officium fit de Dominica vel Feria per annum, dicuntur, ut habentur in Psalterio. In Adventu autem, Quadragesimâ, tempore Passionis & Paschali, ut suis locis, habentur propria. In Festis similiter, quando non habentur propria, dicuntur ut in Communi Sanctorum.

M. Quæ nihil aliud sunt, quàm certi quidam Versiculi post Capitulum recitari soliti, atque ideo Responsorialia vocantur, quia Chorus per ea quodammodo respondet illi, qui Capitulum dixit. Brevia verò appellantur, tum quia sunt per se breviora, quàm Responsorialia Lectionibus subjungi solita; tum ut ab ijsdem Responsorialibus distinguantur, utpote quæ ob eandem causam Responsorialia magna à nonnullis vocantur.

N. Puta, à potiori; nam Versus interdum mutatur, ut mox infra dicitur.

II. In fine Responsorij brevis dicitur *Gloria Patri*, cum repetitione Responsorij eo modo, quo ordinatur ad Primam in Psalterio, præterquam tempore Passionis; tunc enim non dicitur *Gloria Patri* in Officio de Tempore, sed solùm repetitur Responsorium breve à principio.

III. In Responsorio brevi ad Primam loco Versus *Qui sedes* in Adventu dicitur: *Qui venturus es in*

mundum; tam in Ferijs & Dominicis, quàm in Festo, excepto Festo Conceptionis B. MARIÆ. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, etiam in Festis occurrentibus: In Festo Corporis Christi & per Octavam, & in omni Officio B. MARIÆ tam novem, quàm trium Lectionum, etiamsi infra ejus Octavam fiat de Festo vel Dominica, dicitur *Qui natus es de MARIA Virgine*: In Epiphania & per Octavam, & in Festo Transfigurationis: *Qui apparuisti hodie*. A Dominica in Albis inclusivè usque ad Ascensionem exclusivè, tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis (excepto Officio S. MARIÆ) semper dicitur: *Qui surrexisti à mortuis*: In Ascensione usque ad Pentecosten exclusivè dicitur: *Qui scandis super sidera*: In Pentecoste & reliquo anni tempore tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis dicitur: *Qui sedes ad dexteram Patris*, ut in Psalterio.

IV. Responsoria brevia aliarum Horarum, quæ ponuntur in prima Dominica de Adventu, dicuntur per totum Adventum, quando fit Officium de Feria. Similiter quæ ponuntur in prima Dominica Quadragesimæ, dicuntur usque ad Dominicam Passionis exclusivè. Et quæ ponuntur in Dominica Passionis, dicuntur usque ad Feriam quintam in Cena Domini exclusivè. Item quæ ponuntur in Dominica in Albis, dicuntur usque ad Ascensionem exclusivè. Quæ verò ponuntur in aliquo Festo habente Octavam, dicuntur per totam Octavam, quando fit de Octava. In Officio autem B. MARIÆ tam novem, quam trium Lectionum (excepto Festo Assumptionis ejusdem) dicuntur semper Responsoria brevia de Communi Virginum.

V. Tempore Paschali à Dominica in Octava Paschæ usque ad Sabbatum post Pentecosten inclusivè in fine Responsorij brevis ante primum Versum dicuntur duo *Alleluja*, quæ etiam post dictum primum Versum repetuntur pro parte Responsorij, & in fine secundi Versûs unum tantùm *Alleluja* tam in Officio de Tempore, quàm de Sanctis, ut dicitur in Rubrica, quæ est in Sabbato in Albis. Extra tempus Paschale, quamvis in aliquibus Festis ad Tertiam, Sextam, & Nonam Responsorijs brevibus addantur *Alleluja*, non ideo adduntur ad Primam & Completorium. o.

o. Uti in Festo Corporis Christi videre est, atque in Festo Inventionis S. Crucis.

TITULUS XXIX.

DE CAPITVLIS.

I. **C**apitula p. semper dicuntur (præterquam à Feria quinta in Cœna Domini usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusivè, & præterquam in Officio Defunctorum) ad Vesperas & Laudes, & alias Horas, dictis Psalmis & Antiphonis; ad Completorium verò dicto etiam Hymno.

p. Sic dicta, quia sunt ut plurimum in Festis ex Capitibus Epistolarum, quæ in Missa leguntur, desumpta.

II. Capitula Dominicalia posita in Psalterio in primis & secundis Vesperis in Laudibus & Horis, dicuntur à tertia Dominica post Pentecosten usque ad Adventum: & à secunda post Epiphaniam usque ad Septuagesimam. Capitula autem Ferialia dicuntur post Octavam Pentecostes usque ad Adventum, & ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ. Alijs temporibus dicuntur,

ut in